



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 54. Sessio decima quarta Concilii Tridentini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

quinimo semper spe quadam detinebun- Sæc. XVI.  
 tur, ac lubentius Synodi exitum præ- A.C. 1551.  
 stolabuntur. Hæc sententia non modo  
 Electori Moguntino, sed pluribus adhuc  
 aliis probabatur, ac prudentiæ legibus  
 consona videbatur: nec minus ejusdem  
 opinionis erat Franciscus Vargas, prout  
 elucet ex Epistola, quam ad Episco-  
 pum Atrebatensem die septima Octobris  
 perscripserat: Ignoratur tamen, an hoc  
 consilium Synodi Præsidibus fuerit  
 communicatum: id vero omnino ex-  
 ploratum habetur, quod nullus illud  
 fuerit secutus, cum absque mora deci-  
 mæ quartæ Sessioni initium fuisset da-  
 tum.

## §. LIV.

*Sessio decima quarta Concilii Tridentini.*

**H**abita est Sessio decima quarta die Labbe Collect.  
 vigesima quinta Novembris, ubi Conc. tom. 14  
 præmissis de more precibus, aliisque p. 815. & seq.  
 solemnibus Franciscus Manrique Auri-  
 ensis in Galæcia Episcopus Pontificis ri-  
 tu Sacris operatus est, Episcopus  
 vero Sancti Marci orationem latino-  
 sermone conceptam habuit, qua finita  
 Prælati, qui prius rem divinam pere-  
 gerat, consensu suggestu decreta fidem,  
 ac morum emendationem concernentia  
 prælegit, ex quibus novem priora age-  
 bant

Sæcul XVI. A.C. 1551. bant de Pœnitentia: alia vero tria de extrema unctione, & postea promulgabantur novemdecim Canones, quorum postremi complectebantur quatuordecim capita.

§. LV.

*Capita circa Pœnitentiæ Sacramentum.*

CAPUT I.

De hujus Sacramenti necessitate, & Institutione.

„Si in ea regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio, & gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum: quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitute, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria; illis etiam